



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina &
Generaliora**

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Pœnitentiæ quomodo peccatis respondebunt.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

ad vnguem sciat oportet: nam quamuis illi pos-
sint & debeat, secundum prudentis, & morati
Confessarij arbitrium mitigari, prout pœnitent-
tis contritio, personarum qualitas, diuersaque
conditio, aliæque circumstantiae ostendent, uti-
lissimum tamen est semper ipsos Canones præ-
oculis habere, adque eos tamquam ad amissim
respicere, quantum conueniens erit: & quidem
Confessarius, etsi pro modo antiquo Canonum
pœnitentiam non habet sequi, tamen pœnitent-
ti nonnunquam articulos in ijs explicatos tra-
dubit, vt sic ad maiorem dolorem adducatur,
pœnitentiamque leuiusculam, quam ipsi dedit,
alacrius exequatur: & interim hæc quoque per-
spicietur utilitas, quæ proficitur ex benigni-
tate, quam hodie sancta mater Ecclesia cum pœ-
nitentibus obseruat, quando disciplinæ Eccle-
siasticæ rigorem eis tantopere moderatur.

Pœnitentia quomodo peccatis respondebunt.

Curet etiam, vt satisfactiones peccatis com-
missis respondeant. Itaque aduersum peccata
carnis, vigilias, peregrinationes, cilicia, aliaque
similia imponet, quæ macerare, ac castigare
possunt carnem. Contra auaritiæ peccata, præ-
ter restitutiones, quæ fieri debent, opponet ope-
ra misericordiæ pro facultate & modo cuiusque.
Peccata superbiæ, quæ in spiritu hærent, oratio
comprimet, quæ sub potenti manu Dei homini
humiliato fortitudinem, animique constantiam
acquiret. Præcipiet contra negligentiam in ijs
ediscendis, quæ ad verum pertinent Christianum,
conciones sacras, tum etiam, vt ad certum
tempus Scholas, & Catechistas Christianæ reli-

gio-

gionis frequentent. Remissis hominibus, quiq;
in rebus conscientiæ suæ salutiferis frigidè se
gerunt, præcipiet, ut adeant templa, diuinisque
officijs assistant, multasq; usurpent orationes.

Blasphemis quales iniungenda pœnitentia.

At verò blasphemis, & sacrilega lingua in
Deum, & Sanctos petulanter maledicis, pœni-
tentias graues & difficiles iniungent, quæque
culpæ grauitati respondeant, qua in re Canonis-
bus sacris, Pontificijs Decretis, Concilio Late-
ranensi, ac nostrorum Conciliorum statutis sese
conformabunt. Verum bac in parte integro iu-
dicio & personarum dele&tū vtentur: non enim
omnibus omnia conueniunt: quare non man-
dent pauperibus, ut liberaliter tribuant eleemo-
synas, neque ijs, qui diurnis sudoribus victum si-
bi, suisque quæritant, iejunia prolixa, ac simile
iudicium in reliquis pœnitentijs usurpabunt &
sequentur. Videndum est etiam, ut qui publicis
vel scandalis, vel sceleribus delinquunt, non ab-
soluantur, priusquam satisfactionem item pub-
licam, ac pœnitentiam peccato congruentem
ijs iniunxerint, ut simul cum emendatione vitæ
malefacta publica, benefactis resarciant; qua in
causa Concilij Tridentini præscriptum obser-
vabunt, ac institutionem nostram super hac re
in Primo, ac Tertio Provinciali nostro latam,
qui etiam pœnitentias publicas in alias secretas
non communabunt, nisi expressam à nobis hu-
ius rei habeant potestatem.

*Sacerdos ab omni avaritia suspicione ab-
esse debet.*

*Vt liberior sit Confessarius in exequendo of-
ficio,*